

Vg
5357



Q. 191.
Q. 191

15 1685.

Vg
5357

Ad

ORATIONEM

De

Cygro Luthero,

in Memoriam

REFORMATIONIS

Ante centum sexaginta octo annos coeptæ,

Cras die XXXI. Octobr.

O. R. M. DC. LXXXV.

Post finita sacra matutina habendam

Cives suos invitatur

Academiae Lipsiensis


RECTOR,

DEC. D. GEORG. LEHMANN.

Comparatio Reformationis Lutheri

cum Jesuitarum, quæ nunc in Gallia

regni finibus fit, Reformatione.





I. N. J.




Erantur nunc in sermone omnium calamitates, quas in *Galliâ* hæctenus experti sunt, qui Calvinum secuti à Romanâ pariter & Lutheranâ fide secedunt: nec quicquam ferè fama publica ex illo regno hoc tempore ad nos perfert, quam extortas abnegationes eorum, qui se lubenter *Reformatos* vocant, & aliorum supplicia exquisita, quorum animus de pontificiis erroribus convictus ad defectionem flecti nequit. Cœpit ista Reformatorum persecutio ante octo & quod excurrit annos, intra quos primum variis artibus ipsos circumvenerunt adversarii, deindè astutiæ quædam species acerbitalis mixta fuit, hodiè crudeliter in miseros agitur. Nantefianum editum, quod *Reformatis* præter liberum cultus sui exercitium amplissima privilegia tribuit, confirmandum potius à Rege, quàm tollendum esse initiò dicebatur; sic ut multi ex isto cœtu vel nihil omninò mali timerent, vel nubeculam crederent citò transituram. Sed quàm ista spes ipsos deceperit, exitus docet. Illud enim *Palladium*, in quo fiduciam omnem collocabant, nunc penitus ablatum, his ipsis diebus hebdomadariæ Relationes nunciarunt; manifesto præfagio instantis occasus Religionis *Reformatæ*. Equidem non exiguus est illorum numerus, qui Gallorum in ejiciendis hæreticis agendi hanc rationē ut injustam, ut temerariam, ut divinis legibus, quin & imperandi arcanis adversam hæctenus impugnarunt; sed qui his responderet, Gallorumque consilia ac-

cura-

Natalis Alexander, Doctor
Scolasticus in fine voluminis
A. Selector. xxi. l. i. cap. i.
sec. 1. et 16. Parisiis a. 1686.
est, trophæum de bellati in
Gallia Calvinismi erigit, quo
Regem suum magnopere de
predicat, quod abrogatis, et
dictis, quæ Calviniana Re-
ligionis exercitium hæctenus
permiserant, effecerit, ut quin-
des centena millia hominum
ad Ecclesiæ Romanæ gremium
convolaverint.



Prodiit etiam Amstelodami
A. 1688. in 12. tractatus
cui titulus: Edicti Nante-
fensis irrevocabilitas ex prin-
cipis juris et politiciis dem-
onstrata, per C. A. Lesum
Doctorem et Gallicæ natio-
nis judicem, in quo negat
revocationem istius edicti
iuste fuisse à Rege susceptam.



curato studio defenderet, fuit nemo; ut adeo indignum quodammodo videri possit, eos aggredi qui suæ veluti causæ diffisi pugnam fugiunt. Attamen dum Reformationis à Luthero cœptæ memoria anniversariâ solennitate ad Serenissimi Electoris nostri nutum colenda est, non male facturos nos confidimus, si Megalandri Reformationē cum eâ, quæ nunc in Gallici Regni finibus fit, paucis conferamus. Erit autē res nobis non cum Rege, cujus acta sub censurâ revocari à nobis fortasse non debent; sed cum solis *Jesuitis*. Nam uti *Jesuitas* olim Philippo II. autores fuisse certum est, ut Belgii Reformationem infelicem & inauspicatam susciperet: ita *Jesuitas* esse, quorum svasionibus inductus Rex Galliaë ex omnibus regionibus, quæ sibi parent, Reformatos ejicere decreverit, amplius neminem latet. Patebit autem ex hâc, quam instituemus, comparatione, quam meritò inter summa beneficia, quæ Deus in imērentes contulit, eductio nostra per Lutherum è Babylone mysticâ reputetur, quamque ex adverso detestanda sit interque pœnas ab irato numine immissa referenda illa Jesuitarū Gallorū Reformatio. Ordinemur à vocatione ad opus Reformationis, quæ Luthero divinitus contigit, Jesuitis autem hodiernis omninò nulla est. Lutheri illa duplex fuit, ceu Theologi nostræ partis dudum invictis rationiibus demonstrarunt. Una, cū in Ecclesiæ ministrum ordinatus est, & ad publicum docendi munus accessit. Altera specialior, cum peculiaris virū instinctus stimulavit, cujus ipse quidem intimum sensum habuit, maxime, quum divino robore adversus ea, quæ obstaculum reformationi afferre poterant, armaretur: alii vero eundem ex intrepido Reformantis animo, ex insperato operis successu, è publico omnium applausu, è proprio adversariorum testimonio de veritate ejus doctrinæ, quam publicè profitebatur, luculentissimè collegerunt. Prior ipsi potestatem fecit verbi divini mysteria proponendi, curandi gregem commissum,

sum, cavendique ne is ex insalubris ac lutulentæ aquæ haustu
quid detrimenti caperet, & denique Evangelicæ veritatis fa-
cem in alias regiones proferendi. Posterior jussit ipsum
corruptos Ecclesiasticorum mores corrigere, fermentum,
quod veræ doctrinæ à pluribus seculis admixtum erat, inde
segregare, & levare à fidelium cervice jugum illud Pontifi-
cis R. plus quam Ægyptiacum, quo tantum non opprime-
bantur. Et hæc quidem prædicta est à Spiritu S. per Johan-
nem Theologum, quum is Angelum per medium cœli vo-
lantem vidit, clamantemque audit: Cecidit magna Baby-
lon: (*Apoc. cap. 14. v. 6. seq.*) Eo enim *Angelo* significatum olim
fuisse *Lutherum* toties tamque clare demonstratum est, ut su-
perfedere illo labore rectissimè possimus. Producant nunc
Jesuitæ vocationis suæ testimonia, ut qualis ea sit, judicari que-
at. Enimverò datam ipsis esse publicè docendi licentiam à
Pontifice, mediantibus his, qui Jesuitarum collegiis per or-
bem præfunt, negari non debet; ea tamen vocatio, quatenus
jubet credendos proponere articulos fidei, quos pontificium
fermentum inquinavit, ideò non est divina, quoniã Deus ju-
bere non potest, (*2. Tim. 2. 12,*) ut falsã doctrinã seducan-
tur homines, quorum omnium salutem seriò cupit. (*1. Tim.*
2. 4.) Quæ argumentatio ne vel principium petere cense-
atur, vel disputationi toties institutæ nos intempestivè immif-
ceat, provocare hic tantummodo ad Jesuitarum conscientias
lubet, quorum, utpote hominum eruditorum, & quos ple-
rumque subtilius ingenii acumen commendat, omnino cre-
dibile non est, ullum esse, quin ex sacrae scripturæ fontibus sci-
at, Ecclesiã Romanam, prout à Lutherana distat, errores lucu-
lentos defendere, qui ad ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαίνοντων λόγων neu-
tiqvã quadrent, & ipsum adeo fundamentum fidei evertant.
Idem ad omnes Papistarum Doctores pertinet, modò illi non
sint literarum, maximè sacrarum, quod quidem frequentis-
simum est, imperiti, sed controversiarum, quæ nobiscum ipsis
sunt

sunt, momenta intelligant, & quibus nos rationibus nitamur, perpendant. Hinc tot Catholicæ veritatis, quam profitemur, testes in Ecclesiâ Romanâ olim ex pertinacium multitudine caput exeruerunt, quibus hodiè alii, utut pauci, extingventibus obfirmatâ plerisque malitiâ veritatis lucem, quæ in ipsorum corda radios projicit, annumerari possunt. Quæ cum ita sint, vocationem Jesuitæ talem, quali suæ Ecclesiæ Pastores DEUS à reliquo cœtu segregat, non nisi refragante conscientia jactant, multoque minus extraordinario jussu legatos probant se ad suscipiendum opus Reformationis. Certè in illo Johannis Libro, quo futurorum eventuum series continetur, quique Lutherum nobis ut Angelum describit, nulla superest imago mystica, per quam significatos esse Jesuitas constet, quam illa cicadarum & scorpionum è fumo putei prodeuntium. (*Apoc. 9. 3.*)

Quam diversam verò Lutheri vocationem esse à vocatione Jesuitarum vidimus, tam differt finis, quem hi propositum Reformationi habent, ab illo, qui Beato Lutheri præfixus erat. Nostrum non mundanæ cupiditas gloriæ, non divitiarum amor, non vindictæ studium, non alia ulla terrenarum rerum contemplatio movebat; sed Zelus, quo in defensionem veritatis cœlestis ferebatur. Equidem affirmare adversarii non erubuerunt, Lutherum invidiæ agitatam stimulis, quod Tiara Episcopalis non ambiret caput, scripsisse & ad prosterndam auctoritatem Pontificis omnes vires attulisse: Sed & multoties responsum ad eas criminationes fuit, ostensumque, quam sint elumbes, & malè cohærentes. Leonem sanè X. amplissima honorum præmia nostro, si desisteret, promississe notum est, nec omisisse blanditiarum quicquam, quibus inescari homines solent. Verum nihil ille profecit; cum hoc unum in votis esset Lutheri, ut eo solo instructus, quod levandis quotidianis necessitatibus sufficeret,

ret, officio suo invigilaret, & hominum animas Deo lucraretur. Quid de Jesuitis dicemus? *Illi non divini nominis gloriam, non salutem animarum, sed alia omnia suæ Reformationis finem faciunt.* Nam cum ad illud mundanæ felicitatis fastigium, quod per universum fere orbem obtinent, non aliâ ratione pervenire, nec id jam semel occupatum tueri se posse scirent, quam si aliarum Professionum Monachos vivendi ficta sanctitate vincere conarentur; postquam horum fraudes, crimina, dissolutos mores ubique propalâssent, in id solum semper incubuerunt, ut religionem suam probarent, *arborem in vinea Christi plantatam esse, quæ antidotum produceret adversus venenum Heresum, & flores operum Christianorum, quorum suavis odor peccatores alliceret, ut fugientes fœtorem eriminum, ad DEUM converterentur.* Hæc est illius odii Jesuitarum plus quam Vatiniani in Protestantes vera origo. Hinc indefessus ipsorum labor datâ quavis occasione in ipsos sæviendi. Non permittit instituti ratio in anteriorum temporum memoriam regredi, & rimari, quid peculiariter moverit Jesuitas, ut stimularent Philippum II. ad suscipiendam Reformationem Belgii. Quandoquidem cum solis Jesuitis, quos Gallia nunc alit, res nobis est, possemus illorum consilia investigare, & quæ colliment, exponere, nisi dudum orbi constaret, propositum ipsis esse, præter generale illud Jesuitici ordinis *arcanum* de quo diximus, ut pristinam æstimationem, quæ per Jansenistas, Jesuitarum impia artificia detegentes, hæctenus non in aulâ tantum Pontificia, sed & apud plebem passim imminuitur, recuperent, adiutiqve favore populari eos posthac facilius opprimant, qui tandem juventutem omnem, è cujus institutione plurimum emolumenti ad Jesuitas semper redundavit, in sua seminaria allecturi videbantur. Huic alia accessit ratio, ob quam credebant necessarium, sui pro Religione Romana Zeli testimonium perhibere, & voti se illius, quo sedi sanctissimæ

ad

lucra-
nis glo-
tionis
icitatis
on aliã
ri se
nos vi-
orum
, in id
arent,
roduce-
Chri-
fugien-
æc est
restan-
ã qua-
tiratio
rimari,
ppum
videm
posse-
pone-
præter
s, ut
tarum
antum
ecupe-
oppri-
utione
, in sua
tio, ob
naZeli
iffimæ
ad

ad perpetuam obedientiam devinciuntur, memores proba-
re. Dederant enim anam sinistrae de se opinioni,
cum adversus Pontificem regias partes tuerentur in con-
troverfiã de Regalibus, dudum fortasse sopita, nisi à Jesuitis
alacriter nutritus & sufflaminatus ignis fuisset.

Quod si vel maximè vox divina ad reformandi opus
Jesuitas vocaret, nec ipsorum consiliorum finis improban-
dus esset, probari tamen nullã ratione posset reformandi
ille modus, quem in Galliã hucusque observarunt. Lutherus
solã voce, nullã vi, nullã fraude usus, non principum adjutus
armatã potentia, Reformationem Ecclesiæ suscepit, eoqve
successu perfecit, ut quoties illorum temporum acta evolvi-
mus, mirari nemo satis queat, quod tam brevi spatio tot ur-
bes, tot provincias, tot regiones unius hominis operã divini
Evangelii fax illustraverit. Jesuitarum Reformandi labo-
rem non verbi divini industria prædicatio, non sanctè & in-
culpate vivendi exemplum exhaurit. *Juliani* se Discipulos
præbent, quem tamen vafris primùm artibus Christianos
aggressum divina vindicta postremo prohibuit, crudelia ani-
mo concepta consilia exequi. Ast hodiernos Reformatores
fatũ magis propitium respexisse videtur. Postquam enim A-
postatæ fraudibus miseros diu impune exagitarunt, ultimo
quoq; sæviendi sceleratã libidinẽ casus non intercepit; sed visũ
est Divino Numini, adversariorum furori cœtum Reforma-
torum committere. Loqvatur fama publica Galliæ oppro-
brium! Detestetur posteritas Christianorum in opprimen-
dis Christianis calliditatem, Ethnicorum egressam artificia &
fraudes, quam à nobis describi nefas est & indignum.

Tandem quid Jesuitæ impio Reformandi conamine effe-
cerunt, nisi martyres (*si merentur hunc titulũ, quos in fundamento fidei
errare scimus,*) & hypocritas. Neque enim ingentem illum nu-
merum *Perversorum*, qui sublestam famæ fidem nobis merito
facit, dubium est, Petri olim lacrymantis exemplo motum
iri,

19. 5357
iri, ut viam omnes, in quam astutia, dolus, violentia, metus eos abduxerunt, iterum relinquant. Orbis interim Christianus, ut ad crudelia Jesuitarum facta stupeat, tamen admirationem deponet, cum reminiscetur, dudum Jesuitas Gregorii Magni monita de perducendis ad Christianam fidem Gentilibus non asperitate, sed blandimentis, deseruisse, quæ tamen digna censuit Gratianus, ut Decreto suo infererentur Dist. 45. c. 3. Inde enim ab initio seculi decimi tertii, quod *Albigensium* fata exhibet, in hunc usque diem ferro, igne, fame, Romana Ecclesia, quos pro hæreticis habet, persequi non dubitat. Nec ulli nostrum adeo infelix memoria est, ut oblitus sit Hussi, quem integro seculo antequam Lutherus Reformationem auspicaretur, *Concilium Constantiense* flammis adjudicavit. Scilicet nondum venerat tempus quo educere suos ex malignantium turba decreverat DEUS. Itaque facile erat *assare anserem*, qui suam voce prædicebat fata *Cygni venturi* sereniora. Is fuit Lutherus ille, qui suavi cantu suo mille animas lucratus est coelo, quemque vincere tot inimici, quos suæ vitæ insidiantes habuit, non potuerunt. Quod argumentum crastina die in templo Academico prolixè evolvit Pereximius atq; Doctissimus Dn. M. JOH. JOACHIMUS MÖLLERUS, Sommerfelda Silesius, SS. Theol. Studiosus indefessus, cujus Orationem non inelegantem ut benevolè audiatis, Vos, Proceres utriusque Reipubl. Civesque nostros peramanter invitamus. Ille vero benignissimus DEUS, qui antehac Lutherum Reformationis vas electum potenti brachio protexit, ulterius suæ Ecclesiæ curam geret, summamque felicitatem Saxoniarum regionum, quæ S. verbi oracula pura & incorrupta audimus, perpetuâ nobis esse jubebit. P. P. pridie calendas Nov.

O. R. M DC LXXXV.

Typis J O H. G E O R G.

M.C.

entia,
ois in-
a stu-
cetur,
dis ad
landi-
ut De-
seculi
ve diē
cis ha-
nfelix
lo an-
ncilium
mpus
DEUS.
at fata
cantu
ere tot
unt.,
o pro-
JOH.
lesius,
legan-
ipubl.
nignif-
vas e-
iæ cu-
onum,
petuā

ULB Halle

3

004 957 032



Von





Natalis Alexander, Sator
 Sorbonicus in fine voluminis
 A. Selector. Xij. l. l. Cap. l. l.
 Sec. 1. p. et 10. Parisiis a. 1686.
 editi, trophæum de bellati in
 Gallia Calvinismi erigit, quo
 flagellum suum magnopere de
 predicat, quod abrogatis e
 dictis, quæ Calviniana Re
 ligionis exercitium fractenus
 permisissent, effecerit, ut quin
 dies centena millia hominum
 ad Ecclesiæ Romanæ gremium
 convolaverint.




Prodiit etiam Amstelodami
 A. 1688. in 12. f. tractatus
 cui titulus: Edicti Nanne
 tensis irrevocabilitas ex prin
 cipis juris et politicis dem
 strata, per C. A. Lesum
 Sorbonem et Gallicæ natio
 nis iudicem, in quo negat
 revocationem istius edicti
 iuste fuisse à Rege susceptam.



rum, qui se
 plicia exquis
 convictus ad
 matorum pe
 tra quos pri
 versarii, dei
 fuit, hodiè cr
 etum, quod R
 amplissima p
 quam tollen
 cœtu vel nih
 rent citò tra
 exitus doce
 omnem coll
 hebdomada
 instantis occ
 guus est illor
 cis agendi h
 legibus, qui
 gnarunt; se



mnium cala
 s experti sunt,
 pariter & Lu
 quam ferè fa
 tempore ad
 egationes eo
 aliorum sup
 iciis erroribus
 pit ista Refor
 rit annos, in
 nvenerunt ad
 erbitatis mixta
 atesianum edi
 sui exercitium
 potius à Rege,
 at multi ex isto
 eculam crede
 osos deceperit,
 quo fiduciam
 nis ipsis diebus
 ifesto præfagio
 uidem non exi
 ciendis hæreti
 riam, ut divinis
 actenus impu
 que consilia ac
 cura-



cu
 qu
 ca
 ti
 Se
 et
 qu
 an
 ri
 7
 R
 su
 b
 c
 q
 m
 p
 a
 f
 à
 c
 i
 r